

Ephefum redierit, ibique usque ad mortem man-

*Ob.* Si dicas, Prochorum S. Joannis comitem ac discipulum in sua Historia, quæ extat tom. 7. biblioth. Patrum testari ejus Evangelium esse scriptum post reditum ab exilio Resp. librum illum Prochori non esse authenticum, sed magis supposititium aut confectum: incredibile enim est quod cap. 1. dicitur Joannem, cum Asia in sortem ejus venisset, graviter tulisse & ingemisse; quodque cap. 11. habeatur, fideles in honorem Joannis à balneo fani egressi, Ecclesiam ædificasse juxta portam Latinam, ubi sæviebat in Christianos Domitianus. Unde Baronius ad an. Christi 99. Pseudo-prochorum vocat librum illum, & Bellarminus B in catalogo ait ejus narrationem omnino videri confictam.

QUÆSTIO II.

De editionibus sacre scripturae.

ARTICULUS I.

De lingua seu idiomate quo sacra litera primitus fuerant edita.



UINQUE sunt linguæ quibus scriptura sacra fuit à primis scriptoribus edita, nimirum Hebræa, Chaldaica, Syriaca, Græca, & Latina.

Hebræa lingua, ana pura.

Alia mixta.

HEBRÆA, dupliciter accipitur. Uno modo, prout distinguitur contra Chaldaicam, Syriacam, aliasque orientales, sive pro ea quæ est purè Hebræa, qualem Israëlites habuerunt usque ad captivitatem Babylonicam. Alio modo, prout complectitur Chaldaicam & Syriacam, tamquam ex illis orta seu mixta.

CHALDAICA lingua intelligitur ea quæ est sit Babylonijs seu Chaldæis propria, à Judæis tamen in Babylonem abductis, diuturnitate temporis in usum recepta fuit.

SYRIACA à regione Syria sic dicta, originaliter quidem Syris propria est, & diversa ab Hebræa; unde Hieronymus præfati, in Job, *Hac D translatio, inquit, nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso Hebraico, Arabicoq; sermone, & interdum Syro nunc verba nunc sensus, nunc simularumque resonant;* tandem tamen facta est quasi proles Hebræicæ & Chaldaicæ linguæ, una scilicet tertialingua ex duabus istis permixta. Judæi namque post captivitatem Babylonicam, reversi in Palestinam quæ pars est Syriæ, sicut in Babylone primæ suæ linguæ puritatem vitaverant, Chaldaicè loquentes, & Hebræis vocabulis Chaldaica miscentes; ita tunc multa cum Syris communia habere ceperunt, usque adeo ut ista lingua Syriaca, facta ipsis fuerit vulgaris & materna; qua proinde & Christus & Apostoli usi fuerunt; vocantque etiam solet Hebræa, tum quod propriæ Hebræorum linguæ esset affinis; tum quod Hebræi illam sibi vulgarem fecerant: Unde cum Joan. 19. legitur Pilatum sedisse pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebræicè autem Gabbatha, Hebræicè idem valet ac ea lingua qua Hebræi seu Judæi eo tempore utebantur pro vernacula, ac per consequens, Syriacè. Idemque judicium est de verbis sequentibus, ubi legitur Christus exisse in eum qui dicitur Calvaria locum, Hebræicè autem Golgotha: Nam & ibi Hebræicè idem valet, quod Syriacè. Et cum Luc. 23.

Syriaca lingua quando Hebræis vulgaris.

ista verba, *Hæc est rex Judæorum*, dicuntur scripta fuisse litteris seu linguis Græcis, Latinis, & Hebræicis, per linguam Hebræicam similiter intelligitur Syriaca, tunc vulgo Hebræorum familiaris; cum veterem puramque Hebræicam soli docti tunc callerent.

ARTICULUS II.

De libris veteris testamenti in particulari, qua lingua prius scripti fuerint.

CONCLUSIO I.

LINGUA PURE HEBRÆICA scripti sunt Pentateuchus Moysi, liber Josue, Judicium, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Hester, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, liber Isaie, Ieremie cum Tiberis, Ezechielis, & duodecim prophetarum. Vel enim ante captivitatem Babylonicam editi fuerunt, quando Israëlitæ non aliam quam puram Hebræicam linguam pro sua vulgari habebant, vel sub initium captivitatis, quando lingua Hebræa nondum erat corrupta; vel si quis diu post captivitatem editus fuerit, quemadmodum verisimile est de libro Esther, ille scriptus fuit à Mardocheo, qui sicut viris honoratis in more est, honorabili sua primæ lingua scribendum sibi existimavit. Unde Hieronymus præfati, in Esther dicit se eum librum de archivis Hebræorum relevasse & verbum è verbo expressius transtulisse, & postea sicut in Hebræo habetur, Historiam Hebræicam Latine linguæ tradidisse. Neque refert quod ea quæ in ultimis capitibus continentur, non reperiantur in Hebræo: Omnino enim existimandum est illa quoque fuisse primum Hebræicè scripta, postmodum tamen ex Hebræo textu excidisse: Alioquin unde jam olim ad nos pervenissent, nisi ex Hebræis fontibus? Vide quæ diximus q. 1. art. 26.

CONCLUSIO II.

LINGUA CHALDAICA scripti fuerunt libri Tobie, Judith, Esdræ, & Danielis: Dicit enim Hieronymus præfati, in Daniele, *Sciendum est Danielem maxime & Esdræm Hebræicis quidem litteris, sed Chaldaeo sermone conscriptos.* Præfationibus quoque in Tobiam & Judith, utrumque Chaldaeo sermone conscriptum affirmat.

At dices, Non paucorum opinio bene probabilis est, historiam Judith ante captivitatem Babylonicam accidisse, eamque scriptam à Joachim seu Eliachim sacerdote magno qui rebus ibi gestis interfuit: Cum igitur lingua Chaldaica non esset eo tempore in usu apud Hebræos, non videtur quod liber iste scriptus fuerit originaliter idiomate Chaldaeo.

Resp. consequenter dicendum, quod sicut liber Chaldaicè scriptus fuit, ita eo tempore scriptus sit quo Hebræi lingua Chaldaica utebantur, hoc est, post captivitatem: quid enim scriptorem movere potuisset, ut Hebræis eo idiomate scriberet, quod apud illos non erat in usu.

Addendum deinde historiam quoque eo libro descriptam valde probabiliter contigisse post captivitatem Babylonicam, quemadmodum ostendit Ribera in cap. 2. Naum, & ante ipsum B. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 26. & alij complures, de quibus q. 1. art. 13.

CONCLUSIO III.

DE LIBRO BARUCH incertum est quo idiomate fuerit scriptus, quia neque extat